

## Appendix B:

In nomine domini amen. Anno a Nativitate eiusdem Millesimo quingentesimo vicesimo, indictione octava, die vero Mercurii decima quarta, mensis Novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Leonis divina providencia papae decimi anno eius octavo.

Venerabiles et circumspecti viri, dominus Nicolaus Wurmszer, decretorum doctor decanus ceterique canonici capitulares ecclesiae Sancti Thomae Argentinensis tunc capitulariter congregati ac in loco et stuba eorum capitulari presentes inque presentia venerabilis et eximii viri domini Mathiae Wildenroit prepositi ecclesiae Sancti Steffani Wyssenburgensis ac procuratoris ipsius venerabilis viri domini Jacobi Abel clerici Argentinensis, mei notarii publici et testium infranominatorum proposuerunt et allegaverunt et ad requisitionem ipsius domini Mathie Wildenroit procuratoris vigore litterarum executorialium eis per eundem presentatarum et executarum pro parte prefati domini Jacobi Abel principalis, factam velint ut et tamquam obedienciae filii metu penarum et censurarum eis comminatarum parere obtemperare et obedire illisque satisfacere; prestita tamen prima cautione per eundem dominum Mathiam procuratorem prenominatum de observandis statutis et consuetudinibus sepe dictae ecclesiae Sancti Thomae Argentinensis, unde prelibatus dominus Mathias Wildenroit procurator et eo nomine se iuraturum et per principalem suum observaturum de observandis statutis et consuetudinibus dictae ecclesiae data fide manuali in manibus mei notarii publici promisit; qua promissione facta atque excepta, supradicti venerabiles et circumspecti viri dominus decanus et capitulum tamquam obedienciae filii litteris executorialibus ipsis penis insinuatibus parere et obedire volentes, prefato venerabili domino Mathiae Wilrodt procuratori instanti et petenti, perlectis primitus eidem ad intellectum statutis in libro statutorum quo ad promisionem prepositurae contentis, solitum iuramentum per nominatum prepositum perstandum detulerunt eundemque iurare fecerunt quominus [?] nomine procuratorio predicto tactis sacrosanctis evangelicis scripturis prout inibi de verbo ad verbum continetur de verbo ad verbum prestitit et legit; quoquidem iuramento prestito mox statim et incontinenti ex speciali commissione prefatorum venerabilium dominorum decani et capituli, venerabiles viri domini Hieronimus Betschlin et Martinus de Baden, canonici capitulares eiusdem ecclesiae sancti Thomae supradictum venerabilem dominum Mathiam Wilderoit procuratorem sepe nominatum et eo nomine procuratorio in chorum dictae ecclesiae sub decantatione nonarum introduxerunt eundemque in summo altari et deinde in stallo solito prepositurae in choro eiusdem ecclesiae introducendum et installandum; et tandem in preposituram inductus eidem procuratorio nomine realem et actuaalem possessionem per verba solita et consueta in nomine patris et filii et spiritus sancti tradiderunt et assignaverunt, super quibus omnibus et singulis prefatus venerabilis dominus Mathias Wilderoit procurator sepe nominatus sibi dictoque venerabili viro domino Jacobo Abel a me notario publico infranominato unum vel plura publicum seu publica confici atque fieri petiit instrumentum et instrumenta.

Acta fuerat haec Argentinae sub anno domini, indictione, die, mensi, pontificatu, et locis quibus supra, presentibus ibidem honorabilibus viris Cristmanno Usinger et Nicolao Beylfuss, vicariis sepefatae ecclesiae Sancti Thomae Argentinensis testibus ad premissa vocatis specialiter atque rogatis.